

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





Συμ δεω

CORONIS POSTERIOR
ETHICIS DISPUTA-
tionibus adjecta

De

CONVERSATIONE
CUM HAERETICIS,


In Inclyta VVittebergensium Academia
proposita

PRESIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Col. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

MATTHIA PYRNERO
Magdeburgensi Saxone.



VVITTEBERGAE,

Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. XI.



FLU-
cum sin-
rali ho-
i-
re novit;
Platonis
ut as,
s.
mus:
ent.
mod olim
umerit.
reils-



VIRIS

Reverendâ dignitate, devota pietate, virtutis & eruditionis laude conspicuo,

Domino CASPARO,
Abbate Monasterij Ammenschle-
biensis meritissimo

&

Magnifico, antiquâ generis prosapia, virtutum splendore, doctrina insigni Nobilissimo & eminentissimo

DN. GEBHARDO à Meiendorff
hæreditario in **Immeendorff &c.**

ITEM

Prestantissimo, consultissimo & multarum rerum usu prædito

DN. MARTINO HEUCHLINGIO
Not. pub. & arcis provincialis **VVolmirstadensis**
præfecto dignissimo,

Dominis ac Patronis suis submissè colendis

*Hanc practicam i&eternam gratitudinis
& observantia ergò consecrat*

Matthias Pyrnerus

Resp.



CORONIS POSTERIOR
De
CONVERSATIONE CUM
Hæreticis.

I.



Legans est, atq; congrua salvatoris comparatio mundum cum agro, tritico pariter atq; Zizanijs confito; reti, in quo pisces boni & mali, conferentis.

II. Sic enim homines mali interspersi sunt bonis, ut vix bonum invenias, quem non complures circumstent mali; nec adeò fieri possit, quin cum hominibus impijs conversemur, quippe nunquam non Christianis commixtis, 1. Cor. II. v. 9.

III. Econtra frequentes sunt, & seriz admonitiones Domini, de cavendis, & vitandis falsibus Doctoribus. *Matth. 7. v. 15. Tit. 3. v. 10.* & alibi. Ut haud leve dubium hinc oriatur: an, & quomodo converseari cum hominibus hæreticis liceat?

IV. *Hæreticus* non uno modo dicitur. *Generaliter* quidem, qui (dum se Christianæ Ecclesiæ profiteretur membrum) in dogmate religionis, eoq; fundamentali periculosè errat; (sive causa illius ignorantia fuerit, sive malitia) eum tamen nec pertinacius defendit; nec quomodo defendendus, novit. Atque talem malumus seductum ab hæretico appellare, quàm hæreticum.

V. *Specialius* quodammodò; qui errorem conceptum non tenet modò; verùm & studiosè conquisitis medijs, & argumentis pertinacius defendit; aliosque in eandem erroris nassam pertrahere allaborat. Quo numero censemus Doctores sectarum, & hæresium antistites; Felicem Arianum & similes.

tate, vir-
bicio,
RO,
schle-

, virtutum
mo & e-

endorff/

C.

tarum

LINGIO

irstadensis

lendis

itudinis

at

rus

us

us



VI. *Strictissime* tamen, ac magis propriè hoc nomine veniunt errorum, atq; hæresium architecti, qui novarum sectarum spargunt semina, & omni conatu propagare laborant: quos & hæreticos, & hæsiarchas non incommodè dixeris: cujus ex-
titere generis Arius, Nestorius, Eutyches, & qui his similes.

VII. *Conversatio* quid sit, non opus videtur prolixà declaratione, cum ipse terminus frequenter obvius & neminem latere possit, quod unamquamq; politicam societatem, & plurimum inter se convenientiam noter.

IX. Quia verò societas multum variat, & convenientia est multiplex: hinc conversationis patescit diversitas, quam nos in præsentia sextuplicem facimus.

IX. Quarum *primam* LOCUS efficit; ut conversari dicantur, quos locus tenet idem; eandem videlicet domum, civitatem, provinciam &c. incolentes: Eaque conjungit homines non corporibus saltem; sed & *officijs*, quæ tum unusquisque civis concivi suo, tum omnes juncti Reipubl. præstare tenentur: quin & *colloquijs* mutuis concivium salutem & incolumitatem quaerentibus.

X. *Alteram* VITÆ GENUS; quo cicada cicadæ cara, formica formicæ, & unumquodque sui gaudet simili. Quæ, si in ullo vitæ genere, certè in mercaturâ vel maximè est conspicua: licet diversa etiam genera ob usum mutuum, eumq; necessarium, peculiari modo conversentur: futor cum agricola, & vicissim: cum architecto lapidicida; cum viro docto bibliopola; cum hoc typographus, atq; sic consequenter.

XI. *Tertiam* CONVICTUS; hoc namq; conveniunt, qui eadem mensa eodem cibo, potuq; utuntur. Qui conjunctionis gradus amicitia videtur esse proximus, eò, quòd amicitia contrahendæ viam sternat facilem, ac planam.

XII. Cui ceu filiam annectimus *familiaritatem* amicorum propriam, in quotidianâ vita consilio, auxilio, & quacunq; fieri potest, operâ mutua sese juvantium, animorumq; conjunctionem intimam, *ὀμόνοϊαν*, & *ἑνωϊαν* declarantium.

XIII. *Quartam* CONNUBIA quæ inter politicas quidem
summa

Summa videtur conjunctio: eaq; primò copulantur mas & fœmina, ita, ut evadant caro una; imò deserat homo patrem & matrem, & uxori adhaereat. *Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 6.* Deinde verò utriusq; cognati, & consanguinei; imò familiæ integræ quadam affinitate ad invicem copulantur, quod veræ amicitiaæ haud contemnendum videtur fundamentum.

XIV. *Quintam ECCLESIASTICA OFFICIA*, ex spirituali amicitia seu vera, seu apparente profecta. Eorum verò unicum hic attingimus, quod ad sacrum baptismatis fontem exhiberi potest tum infanti baptizando, fidejubendo, tum ejusdem parentibus.

XV. Quantum ad quæstionem propositam; videtur distinguere Apostolus inter hæreticum admonitum, & non admonitum; inquit: hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem evita. *Tit. 1. v. 10.* Unde colligimus 1. *hæreticum admonendum esse*: itaq; non interdicitur conservatio cum nonmonito; verum talis, qualis est Medici cum ægroto.

XVI. Sicut ergò consultum non est, eum, qui morbo contagioso laborat, ab unoquoque indiscriminatim contrectari ob periculum, ne is nihil proficiat, vel ipse morbum contrahat; sed à perito saltem Medico, qui & sibi rectius cavere, & ægroto de ijs, quæ sanitati recuperandæ inserviunt, prospicere novit.

XVII. Ita non quisq; pertinacem admonere tentet hæreticum; (ne fortè induratio ex eo fiat, aut ipsemet ex tali conversatione mali quid contrahat) sed qui fundamenta firma fixa jecit fidei suæ, atq; hinc *δυνατός ἐστι ἐλέγχειν τὸς ἀντιλέγοντας.* *Tit. 1. v. 9.*

XVIII. Et huic prospiciendum est, ne ad modum familiaris aut amici ineptias, aut res leviores alias tractet; sed nil nisi medicum agat, & unicè in adhortando, & monendo occupetur.

XIX. 2. *Hæreticum admonitum fugiendum.* Id quod initio prohibet. I. L O C I communitatem. Etsi enim locus per se neminem polluat, neq; in eadē civitate cum improbus habitare quicquā per se habeat periculi: quia tamē multa scandali plena occurrūt;

quibus homo plus vel salva cum conscientia non interesse, vel offendi facile potest; cavendum utique, si fieri potest, ne loci ratione idololatricis, & atheis hominibus commisceamur.

XX. Hoc est, quod *Baruch, cap. 6. v. 3. 4.* sui libri (in Epistola, quam Jeremias Proph. ad filios Israel in Babylonem abducendos misisse perhibetur) ait: *Nunc autem videbitis Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari. Videte ergo, ne & vos similes efficiamini factis alienis &c.*

XXI. Incidit hic quaestio: *Sitne in bene constituta Rep. religionum toleranda diversitas?* Pro cuius decisione ut certum sumimus, diversitatem istam ex re, & usu Rerumpubl. esse minimè; ut enim nullum dissociabile firmum, sic omne dissocians societati (hominum animos disjungendo) quam maximè obesse omni videtur carere dubio.

XXII. Porro: in confesso est & illud: nihil Reipubl. per se noxium, in bene constituta Republ. tolerandum. In hoc enim magistratus cum primis est datus ut 1. in commodis politicam eripiat, ejusq; incrementum omnibus legitimis, atq; commodis rationibus promoveat. 2. Ultramq; tabulam custodiat; blasphema, & impia dogmata, & quamcunque religionem falsam prohibeat.

XXIII. Concludimus ergo: Religionum diversitatem in Rebuspubl. quantum fieri potest, non tolerandam. Id tamen non absq; distinctione 1. Religionis, 2. tolerantiae, 3. extirpationis assertum volumus.

XXIV. De Religione falsa quaeritur vel introducta, vel introducenda. Introducitur, vi, aut fraude. Sin prius; vim vi, etiam belli, legitimam tamen, hoc est, potestate, & autoritate magistratus, repellere licet; quod antiquam usurpasse Ecclesiam, historiae testantur.

XXV. Si posterius; contraeundum, fraudum detectione, & contradicentium redargutione, quin & pertinacium exilio, quibus tamen omnibus tum Ecclesiastici tum politici Magistratus autoritas praesit, quibus hoc injunctum, ut lupos ab ovili arceant, & sanae doctrinae depositum servent.

XXVI. Quòd si verò jam tum introducta; cum primis at,

tendendum, ut ipsa hæresis gladio spiritus occidatur, & ab erroribus liberentur homines: quamvis præter officium non facturus censeatur magistratus, si orthodoxæ fidei resistentes finibus suis (modò citra commotiones, & pericula graviora fieri posset) ejiceret. 2. aut, si minus, publica prohiberet religionis exercitia. 3. alijsq; modis, ac medijs Christianis non indignis falsas religiones opprimeret.

XXVII. Deinde: Religiones quædam non saltem impiam profitentur doctrinam; verùm etiam aut ad seditiones sunt pronæ, aut aliàs sceleribus, & fraudibus Rempubl; turbant: quæ vel hoc solo nomine minus sunt ferendæ; quod omne seditiosum vi etiam manifestâ extirpandum.

XXIX. *Tolerantia* qualem hîc intellectam volumus, postulat ut medijs congruis, & convenientibus erui zizania ex agro Domini nequeant: tunc enim permittendum, ut ea crescant ad usque tempus messis *Matth. 13. v. 30.*

XXIX. Deinde *Tolerantia* vel spontanea est, vel coacta, aut inter has media. Spontanea; dum impunè, ac citra omnem contradictionem errores spargi, permittunt ij, qui eosdem coercere & poterant, & debebant. Coacta; quando vel tacitè ut cancer serpit hæresis, nec ulla industriâ pelli potest, aut, cum vires acquisivit tantas, ut nec magistratus auctoritate, nec vi pelli valeat.

XXX. Mixta est, quando voluntas hæreticos alioquin propulsura flectitur ad tolerandum, & connivendum ob tributa ab ijs solvenda, aut alia quædam commoda aut æconomica, aut politica.

XXXI. Quòd tolerandas religiones impias negavimus, id necessariam, & coactam tolerantiam non concernit, sed tùm spontaneam, tùm mixtam; quarum neutra in conscientia excusari, aut cum sacris legibus conciliari potest.

XXXII. *Extirpantur* hæreses vel modo violento. Ecclesie in usitato, adeoq; extraordinario, quod scriptura *ἐνεῖδεν*, radicitus & violenter evellere appellat; de quo extirpationis modo pronunciat: *nolite evellere Zizania, ne simul evellatis &riticum.* *Matth. 13. v. 29.* vel modo ordinario, & Novi Testamenti Ecclesie

clesiæ consuetudo, quem præcipuè in ἐλέγχω doctrinæ, tum etiam doctorum ejectione consistere, ac licitum asseruimus.

XXXIII. Sed de *Judeis*, non quidem hæreticis; Christianæ interim fidei hostibus juratis, & contumacibus sentiendum quid in præsentia occasione sic postulante, expendamus.

XXXIV. Horum autem alia videtur, ac peculiaris ratio; cum præsertim considerari oporteat, quòd tanto tempore, jam inde à Christo passo singulari, & admirabili fato in medio Christianorum ipsos vixisse, constat. Fatum certè mirandum, cujus tamen evidentissimæ simul, & gravissimæ subsunt causæ.

XXXV. *Primum* enim minatus non semel fuerat Dominus Judæis à lege recedentibus dispersionem per omnes gentes: cujus comminationis veritatem vel hoc ipso in clarissimam lucem posuit. *Deinde*: quam ipsimet precati sibi fuerant, posterisque suis maledictionem, Matth. 27. v. 25. divino judicio abundè in ipsos devenisse ostendit.

XXXVI. *Tertiò*: Ob oculos nobis ponit Dominus fractos naturales ramos, hoc ipso quotidie nos admonens, ut cautiore simus nos rami insititij, ne similem fortè maledictionem incurramus. *Quartò*: prædicta videtur ab Apostolo *Rom. 11. v. 25.* faciem præferente *Esaiæ cap. 59. v. 20.* universalis quædam populij Judaici ad regnum Christi conversio: cui hæc per orbem Christianum diffusio non parum videtur momenti allatura.

XXXVII. *Deniq;*: Judæi piæ vetustatis judicio sunt librarij, Bibliothecarij, & scriniarij Christianorum; eoque officio multum Ecclesiæ consultum statuunt: ab hoste enim librum ea sumit, ut confundatur alius hostis: & tantò minus suspicionem fraudis rapiatur, si principia fidei hostis infensus subministret.

XXXVIII. Concludimus hinc, non male omninò fieri, si Judæi in Republ. Christianâ (quamvis in eandem nec adsciscendi, nec facilè admittendi, sed, si jam tum loca occuparint) tollerentur: ita tamen, ut 1. nullas synagogas, aut publica religionis exercitia aperiant 2. Nullas negotiationes exercent, nec usuris, atque alijs modis illegitimis Christianorum bona ad se rapiant. 3. Ad orthodoxorum sacra visitanda cogantur. 4. Nec causa lucri, sed propter rationes dictas tolerentur. Hæc cum primis

primis requirit *B. Lutherus*, & post hunc *D. Balduinus adversus Schopp. cap. 3. 2.* quamvis plura addat postulata *Keckermannus disp. Eth. 23. quest. 3.*

XXXIX. II. *Vita genera* quod attinet, sunt illorum quædam Reipub. necessaria ad ejus sive esse, sive benè esse faciendū: quædam verò aut inutilia; aut supervacanea.

XL. Quæ prioris sunt classis, ea uti Deo probari, persuasum habemus; ita, quam necessariò postulant conversationem, eisdem non improbari, certum ducimus.

XLI. Tenet inter ea (quantum ad institutum præsens) primas mercatura, seu negotiatio, quam exercere cum infidelibus, licitum; (si præsertim eandem necessariam cum fidei consortibus exercere nõ detur) ostendit exemplum Solomonis ab Hiram ligna pro templi exedificatione accipientis, *1. Reg. 5. v. 1. seq.* eiq; alimenta pro domo sua rependentis *v. 11.* Abrahami duplicem speluncam à filiis Heth. *Gen. 23. v. 16.* ementis; religione licet à se dissidentibus: Christi, ac discipulorum panes, aliaq; necessaria à Judæis ementium.

XLII. Cùm autem de mutuis emtionis & venditionis contractibus, aut aliis mutuis concivium operis præcisè loquamur, certè negligenda non est cautio ista, ne quis cum periculo, aut scandalo tali se credat negotiationi; aut si ipsa per se periculo vacet, id ipsum spontè sibi creet.

XLIII. In classem posteriorem referimus circulatores, histriones, & qui his similes pecuniarum aucupes: statuentes, nec licitum homini pro sana istiusmodi spectacula exhibere infidelibus, nec horum nihili studia vel approbare, vel juvare, non tam propter Religionis diversitatem, quàm ipsa vitæ generaminus honesta & laudabilia.

XLIV. III. *Convictus* omnium consensu arctior quidam est conversationis modus singularem quandam præ se ferens benevolentiam, qua dum sceleratum fortè, aut famæ non integræ hominem indignum conversatione judicamus, cibum cum ipso capere detrectamus.

B

45. Hunc

æ, tum et-
uimus.
ristiana in-
ndum quid
ratio; cùm
e, jam inde
lio Christi-
dum, cujus
causæ.
at Dominus
nes gentes:
issimam lu-
rant, poste-
o judicio a-
s fractos na-
t cauriores
nem incur-
11. v. 25. fa-
am populi
r orbem
llatura.
nt librarij,
fficio mul-
brum ea su-
uspicionem
bministrer:
ò fieri, si Ju-
c adsciscen-
uparint) to-
blica religi-
erceant, nec
m bona ad se
ntur. 4. Nec
Hæc cum-
primis

XLV. Hinc etiam scriptura, ut familiarem, & perquam amice junctum allegat eum, qui panem alterius edit. *Psal. 41, 10. Job. 13, v. 19,* qui cum alio intingit in catinum. *Marc. 14, v. 20. 1. Cor. 5, v. 11.*

XLVI. Et causa videtur evidens: quia tunc animus à curis; corpus à negotijs liberum, actibus familiaritati contrahendæ congruis multò facilius inservit. Unde *Aristoteles: ἔδειν ἄνω τῶν φίλων, ὡς τὸ συζῆν.* 8. *Nic. 6.* eum amicum reputans, cum quo salis modium quis absumsit: hoc est, convictu ejus multo tempore fuit usus.

XLVII. Quæstio ergò nostra: *conveniatnè convictu eorum uti, qui Religione à nobis sunt alieni?* Geminatur ea consideratione illius, quòd vel quotidianâ, & ordinaria mensa cum hæretico utimur; vel uno quodam convivio ipsum excipimus, aut ab eo invitati comparemus.

XLVIII. Priorem jam antè *disput. 12. theor. 3.* additis rationibus rejecimus, ut in negantem partem nos abire vel ex eo constare perfacile possit.

XLIX. Posteriorem itidem à Christianis remove videtur Apostolus dum *1. Cor. 5, v. 11.* in hæc scribit verba: *Nunc autem scripsi vobis non commisteri: si is, qui frater nominetur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, &c. cum ejusmodi nec cibum sumere.*

L: Malumus tamen in affirmantem sententiam concedere, statuentes, homine Christiano non indignum, 1. Si convivio hæreticum excipiat. Id namq; divinum etiam præceptum, quo in hostem misericordiam exercere jubemur, exigere videtur *Proverb. 25, v. 21. Rom. 12, v. 20.*

LI. Ita tamen, ut 1. absit scandalum, quo vel alij offendantur, te tacitè cum hæreticis colludere autumantes vel tu ipse amore quodam hominis captus in actiones ejus consentire incipias: qui primus est seductionis gradus. 2. periculum seductionis itidem vel tui, vel aliorum. 3. prava colloquia, quæ bonos corrumpere mores, Apostolus autor est *1. Cor. 15, v. 33.* 4. fine bono suscipiantur, velex caritate Christianâ, in hostem

stem quoq; se exerente, vel spe conversionis, vel deniq; pacis
politice conservandæ gratia.

LII. 2. Si ab hæretico invitatus compareas, Id quod non
concessio saltem Apostolica 1. Cor. 10. v. 25. seq. sed exempla quo-
que, Christi imprimis Luc. 7. v. 36. cap. 14. v. 1. cap. 15. v. 1. seq.
licitum, docent: si tamen eadem adsint conditiones, quas mo-
dò notavimus. Hinc tamen nulla adhuc familiaritas, quam
multiplicata demùm colloquia, & convictus contrahunt.

LIII. IV. Summus, & arctissimus politicæ conversatio-
nis gradus est inter conjuges, & quæ his sanguine sunt juncti;
coalescentibus tum personis; tum integris etiam familijs.

LIV. Difficilis hinc quæstio: *sintne licita conjugia cum aliena
Religioni hominibus inita?* Respondemus per distinctionem in-
ter matrimonia contracta & contrahenda. Illis dupliciter Re-
ligionum dissensio invehitur; vel; si utraq; persona prius exti-
terit fidelis, & una in hæresin prolapsa, altera veritatem a-
gnitam constanter amplectente: vel; si utraq; prius infideli, al-
terutra ad fidem convertatur; qualium plura in Corinthiacâ
Ecclesiâ fuisse connubia, caput 7. v. 1. ad Cor. demonstrat.

LV. Unde facta, ut quæstio illa Paulo Apostolo moveretur;
sintne istiusmodi matrimonia solvenda, an rata habenda?
Quam per distinctionem dissolvit eorum, qui cohabitare con-
sentiunt, & qui dissentiunt.

LVI. De prioribus illis inquit cap. 7. v. 12. *si quis frater uxorem
habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: &
quæ mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum
illo, non dimittat virum.* Additâ ratione; quia spes est, infidelem
conversum iri per conversationem cum fideli.

LVII. De posterioribus ita loquitur, ut desertionem con-
jugi fideli dissuadeat: si tamen desertus ab infideli fuerit, eun-
dem liberum pronunciet: *quod si (inquit) infidelis discedit, discedat;
non enim servitutis subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

LVIII. Porrò: matrimonium cum infideli contrahendum in
totum negamus. Hoc namq; est *συζυγείας* cum infidelibus, ex-
pressè, ac severè prohibitum, 2. Cor. 6. v. 14.

LIX. Nec sufficit, finem bonum intendi, conversionem puta infidelis: præterquam enim quòd incertus est hujus intentionis eventus, accedit periculum, quòd subit alter conjux, ne fortè ab infideli conjuge imponi sibi patiatur; uti sapientissimo contigit Salomoni, 1. Reg. 11. v. 1. seq.

LX. V. OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM COMMUNIO concordiam, & amicitiam spiritualem arguit, quam omnium esse maximam, notissimum ducimus, cum nil altius cor insideat, quàm Religio; nec usquam ætior, & firmior, quàm inter fidei consortes reperta fuerit concordia.

LXI. Ergò, qui officia Ecclesiastica faciunt communia, ætissimo fidei vinculo præsumuntur connexi: cum in sacris, & Religione ijdem nunquam sint juncti simul, & disjuncti.

LXII. Hinc adeò clarum evadit, nec hæreticos, aut quoscunque alienæ religionis homines ad sacra Ecclesiæ adscisci, nec orthodoxæ fidei addictos hæreticorum sacris interesse bona cum conscientia posse.

LXIII. Duo emergunt ex dictis ζητήματα, 1. an hæretici à sacris Ecclesiæ in totum sunt arcendi? 2. an hæreticorum sacris nullo prorsus modo interesse liceat?

LXIV. Ad prius respondemus per distinctionem inter sacra, quæ conversionis sunt organa, ut est verbi prædicatio; & quæ huic fini principaliter dicata non sunt; Sacramenta puta: à quorum illis non judicamus arcendos hæreticos: quò minus autem, pars sint horum sedulo cavendum.

LXV. Præterquam enim quòd sanctum projiceretur canibus; & prophanarentur mysteria, certè, Ecclesiæ notæ & symbola communia evaderent etiam non Ecclesiæ; sicq; vim notandi, & Ecclesiam designandi amitterent.

LXVI. Ex quo facile fit judicium de patrimis pro parvulis baptizandis ad sacrum baptismatis fontem fideiubentibus: licitumne sit, hoc deferre officium alienæ Religionis hominibus?

LXVII. In negantem nos concedere jam diximus. Primò quidem,

quidem, ne ijs videamur colludere; Apostolicum namque est præceptum, ut caveamus nobis non tantum à malo ipso; sed & à quavis mali specie. Deinde: ne scandalizetur Ecclesia, quod facile contingeret, si audirent infirmiores, infantem baptizari in fidem, quam confitetur hæreticus; & Ecclesiæ ministrum ad ipsius confessionem dicere, Amen.

LXXVIII. Terriò: in isto patrinorum ritu hoc agitur, ut admoneatur Ecclesia, in quam fidem baptizetur infans: absolum proinde foret, ad sinceræ fidei confessionem nomine infantis edendam eum adsciscere, qui in fide sincerus non est. Taceo patrinorum esse officium, infantes adultiores in religionis incorruptæ doctrinâ instituere: quam cum oderint patrini, nunquam patientur infantem erudiri in ea religione à qua sunt alieni.

LXXIX. Ad quæsitum posterius respondemus: hæreticorum sacris interesse licere, sed ijsdem non communicare, nec participare. Interesse quidem, ubi legitimi officij ratio id postulat.

LXXX. Cujus exemplum Naaman Syrus illustre subministrat; quem cultui Remmon interesse oportebat, ob munus, quoungebatur, politicum; interim se nulli alieno Deo unquam sacra facturum, recepit; ideoq; nec Remmon adoratum 2. Reg. 5. v. 17.

LXXXI. Ita in Comitijis Augustanis Anno 1530. Elector Saxonix ex officio, quo in Imperio Romano fungitur, enssem præferebat Cæsari missam Papisticam adeunti, etsi abominationum ejus se participem haudquaquam faceret. Sleid. lib. 7.

LXXXII. At; *communicare* fas est minimè. Hoc enim severissima Dei mandata, è castris malorum secedere graviter momenta volunt: Num. 16. v. 26. Esa. 52. v. 11. Apocal. 17. 4.

LXXXIII. Hoc confessio postulat, qua fidem in corde latentem ore proferre jubet Rom. 10. v. 10. Hæc non patitur nos claudicare in utramq; partem 1. Reg. 18. v. 21. aut abnegare Dominum Matth. 10. v. 33.

tionem pu-
u jus inten-
conjug, ne
sapien tiffi.

IM COM.
rguit, quam
m nil aliud
& firmior,

a. munita, ar-
in sacris, &
uncti.

s, aut quos
sæ adscisci.
nter esse bo-

hæretici à
orum sacris

n inter sa-
radicatio;

menta pu-
os: quò mi-

eretur cani-
otæ & sym-
cq; vim no-

pro parvulis
ntibus: li-
onis homi-

us. Primò
quidem,

LXXIV. Hoc Deo debita servitia requirunt; qui cultum sibi soli vendicat *Matth. 6. v. 24.* cultum non hypocriticum ab ore tantum pendentem, sed ex corde profectum *Matth. 15. v. 8.* eoq; non tepido, sed calido *Apost. 3. v. 15.*

LXXV. Denique devitatio scandali, quo Ecclesiam, & in hac cum primis infirmiores offendimus *Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 12.* quomodo enim scandalum non sequeretur defectionem manifestam ad Ecclesiam malignantium, cui te membrum profiteris sacra ejusdem, quibus ceu signis & notis Ecclesiam describi constat, participando?

Μόνω Θεῷ δόξα.



cultum sibi
icum ab ore
7.15.7.8. eoq;
siam, & in
5.1. Cor. 8. v. 12.
tionem ma
brum profi
esiam descri



WITTEBERGÆ,




Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XI.



xponen
caudia
es, meras
ceptui ca
uincorum
vocantes, ut
quibus se
sua sua sa
errantes,
r nomen
im in coe
, & cur
ectis nos
semper
Fili san
primum
Trinitate
ratia



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



108



POSTERIOR
S DISPUTA-
bus adjecta
De

RSATIONE
AERETICIS,
ebergensium Academia
proposita

RESIDE
LAO HUNNIO
Col.Phil.Adjuncto,

PONDENTE
A PYRNERO
burgensi Saxone.

TEBERGAE,
graphica Johannis Gormanni.
M. DC.XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

